



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

XX. Reliqui dies Mensis Julii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

facultatem concessit. Quod ubi mater est consecuta, non dubitavit filiolo fere sexenni, eodem laboranti vitio, beneficium idem implorare; quem eadem de causa unâ cum filiabus ad VI. Idus Julias Lindam deduxit. Atque huac in modum exerrante his linguâ, Simoni Erntan, Ædituo Meelfaccensi, non jam lingua, sed mens & ratio exerrabat. A duarum hebdomadam in somnibus diebus æquè ac noctibus, & predominante interim morbo delirium id ortum erat: quod tamen imploratâ Divæ Lindensis ope facillimè discussum, eaque de causa pridie Iduum gratiæ apud Lindam actæ.

CAPUT XX.

Reliqui dies mensis Julii.

TRansvectionem Equitum Romanorum, Idibus Quintilibus fieri solitam, quam Dionysius Halicarnassæus (a) egregium spectaculum, dignumque imperii magnitudine, vocat, excipiebant consequentibus inde diebus tum *Lucaria*, *Turrinalia*q; sacra, tum *Neptunales* atque *Circenses* ludi. Plures iisdem diebus apud Lindam Marianam intervenerunt feriæ, sive sapientiæ divinæ ludi; quippe coram Domino (ut ipsa (b) gloriatur) *Ludentis omni tempore; ludentis in orbe terrarum;* cujus etiam *delicia, esse cum filius hominum.* Ad quorum quidem ludorum spectacula, plurimi undique mortales concurrere, tametsi solito pauciores in commentariolos relati; sive ob ejus, qui referre solebat, absentiam; sive ob aliorum multitudinem gravitatemque negotiorum.

I. Pro-

(a) lib. 6. (b) Prov. 8. 30.

I.

Processiones aut insigniores supplicantium
catus.

Præter studiosam Collegii Resseliensis juventutem, quæ menstruam ad xvii. Cal. Aug. processionem fecit, ipsa quoque civitas Resseliensis, è quatuor annis, de quibus alio loco unam ad vii. Cal. expedivit. Soweidensis quoque ex agro Resseliensi pagus ad xi. Cal. solenni agmine processit, sed & aliis diebus frequentes accurrebant, tum Resselio, tum Bisteino, Seeburgo, Heilsbergâ, Gutstadio, VVartemburgo, Allensteino, Vormdito, & aliis Varmiaë locis: quin & è Masovia, Subsilvania, ac Lituania, præter eorum turmas, qui messis causâ ad Insulam Marianam hac transeunt (quibus ferè quotidie necessaria catechesi & institutione Christianâ subventum) nonnulli quoque Lindam votorum rei accesserunt.

II.

Quidam è Masovia & Lituania singulares
experti gratias.

Ad xiiii. Cal. sextiles, appulit Lindam Bartholomæus V Voyciechowicz, ex oppido V Vystyniec ad fines Prussiaë in Lituania haud procul V Vierzholoviâ sito; & jam alterâ vice, beneficiorum à Diva Lindensi acceptorum memor, peregrinationem triginta prope leucarum absolvit. Duodeviginti circiter menses mente erat motus; adeo ut per insanam campos oberraret, & in aquas nonnunquam se

E e e

præ-

præcepta daret. Non sunt neglecta, quæ usui fore videbantur, remedia: & inter hæc, ut iis in locis quorundam religiosorum usus fert, etjã exorcismi, sed & hi, & reliqua omnia incassum adhibita. Adhibuit deniq; Lindensis peregrinationis votum, ita ut singulis, quoad vita superstes esset, annis mendicatore Lindã reviseret; exinde homo sibi, & quoad sensus, & quoad vires restitutus. Quæ omnia admodum R. D. V. Vyssinensis Parochus testimonio suo firmata, manu sigilloq; suo munivit. Triduo inde exacto, adfuit è Masovia nobilis matrona, magnifici Domini Iudicis V. Visnensis conjux Eva, & acceptæ per B. V. Lindensem sanitatis monumentum, aureum eidem dicavit anulum, toto corpore, sed maxime capite ægra, haud procul præsentis mortis periculo abfuit, quo illã sacerdos quidam, voto peregrinationis Lindensis ad Aram nuncupato eripuit. Ab eo enim tempore revalescere sensim cæpit, & paulò post integrè convaluit, ut iter sat longũ ingredi commodè posset. Eidem videtur comes itineris adjunctus fuisse ejusdem magnifici Dõ. Iudicis famulus, nobili genere è Drohicinensi provincia apud Subsilvano natus Jacobus Przedziecki, sive ulcus, sive apostema fuerit, quod hominem occuparat, eò certè adduxit, ut per sex menses, vel aliorum manibus, vel fulcris subalaribus, aliisvè sustentaculis niti eum oportuerit. Sed exemptus eã necessitate ipsoque morbo est, ubi voto Lindam edico in Deiparæ auxilium sese quasi reclinavit. Qua causã ingentes eidem, apud Lindam gratias egit.

III.

E Gutstadiensi municipio viduæ duæ
sanatæ.

Utraque è Mensterbergk pago fuit; utraque ad
ix. Calendas sextiles Lindæ adfuit: alteri nomen
Dorothea, alteri Catharina: illa Jacobo Kowal
nupta quondam fuerat, & trium hebdomadum
morbo doloribusq; per quam vehementibus è de-
ducta, ut per octo dies, vix aliquid cibi potionisve
sumere potuerit. Verùm & anorexia illa, & morbus
obsecessit, ubi imploratum voto Deiparæ Lindensis
præsidium accessit. Jam verò ista Michaëlis Kofak
vidua colicis doloribus, sive aliis viscerum tormini-
bus per menses quatuor exagitata, prope nullum
præ morbi acerbitate cibum capiebat. Ita afflictæ
ariter & exhaustæ votum, quod Lindam fecit, fa-
cillimè subvenit. Tertia iisdem le adjunxerat co-
dem ex pago vidua Jacobo Dainer olim nupta;
quæ tamen apud S. Crucem, ut agebat, capitis do-
loribus levata esset, Lindam nihilominus ad agen-
das Deiparæ gratias necessario sibi censuit acceden-
dum.

IV.

Seeburgensium quidam variis ornati
beneficiis.

Ad viii. Cal. Aug. peregrinationis suæ voto de-
functus est Simon Zornhausenè Glotengē Seeburg a-
gri villâ, ætate millesimi sexcentissimi quinquagesimi
tercii anni, acutissimis dextri oculi doloribus aliquot

E c c a

men-

menses exercitus est: quoad demum oculus albugine
 suffusus, cuticulaque obductus videndi usum facul-
 tatemque amisit. Mater de filii salute perquam so-
 licita, neque tamen, quid potissimum auxilii confi-
 lii ve capesseret, satis gnara, ad Lindensem denique
 hospitaticem confugit; & filium voto peregrinatio-
 nis, per sequentes annos tres frequentandæ, obstrin-
 xit; adjuncta cere portionem, quæ quotannis dedica-
 da esset. Ex eo tempore cessavit dolor, & paulò
 post etiam albugo cuticulaque absterfa. Eadem die
 Seeburgo adfuit Jacobi Leiliger civis filius Ioannes,
 qui nocte quadam repentino, præter spem sinistra
 cruris dolore correptus, & gravissimè erat afflicus.
 Dolorem excepit ingens totius pedis tumor; non
 sine justo gravioris alicujus noxæ metu. Quibus ta-
 men omnibus, voto Lindam nuncupato occursum
 in tempore est: tertio enim exinde die, & tu-
 mor resedit, & dolor omnis recessit. Sub idem
 quoque tempus vota reddiderunt sua, tum Euphe-
 mia Georgii Benig è Bergerdorff uxor, tum Ger-
 trudis Jacobi Preiss è V Valkeim filia, utraque Dei-
 paræ ope sanitatem consecuta; hæc quidem in dolo-
 re, oculos septimanarum aliquot intervallo confi-
 gente; illa verò in erysipelate totum ferè corpus
 pervadente; præsertim quoties vel terrore aliquo
 consternata, vel frigidâ esset perfusa. Denique &
 Laurentius Giuzevski ex Besau ejusdem municipii
 villâ, febri per aliquot septimanas confictatus,
 neque alio quam Deiparæ Lindenensis auxilio (quod
 voto suppliciter facto implorarat) adjunctus, sub idem
 tempus votum solvit.

V.

Resseliensium plures adjuti.

Martinus Fleischer in majore Atkamp ~~R~~esseliens-
 is agri pago, ad falce metendam in vicino lacu Zaim
 trandinem pergebat, cum illi subito pedem utrum-
 que dolor non invasit modo, sed & contraxit, ut
 longum vix adrependo potuerit reverti Totam in-
 te ~~est~~atem, non nisi fulcris subalaribus nixus, gra-
 tum facere potuit: magis tamen spei ac fiducia
 quam in Deipara Lindensi fixerat semper innixus.
 Quam etiam vires addente Lindam usque perrepsit;
 ubi geniculatim, uti poterat, altare circumiens,
 confestim revaluit, & fulcra, quibus deinceps opus
 non habebat, in sacello suspensa reliquit Quod
 ipsum etiam conjux recurrente tempore, ad xi. Cal.
 Aug. Lindam palam est confessa. Aliud sibi benefi-
 cium a Deipara concessum, biduo ante facta est Ioan-
 nis Schlegel Santoppensis coloni uxor Dorothea.
 Decem hebdomadas sive viscerum, sive, ut illa puta-
 bat, uteri doloribus miserè exercita, quotidie vel
 invita decumbere aliquandiu, & allevationem mali
 captare eo modo cogebatur. Allevata verò penitus
 est, ubi voto Lindensi Deiparæ se obstrinxit: vix
 enim semel exinde cruciatus rediére, continuoque
 depulsi sunt. Ex aliis quoque municipii ejusdem pa-
 gis sub hoc tempus reddita sunt vota, Benedicti
 Block è Schellen filia Catharina, per octo continuos
 dies collum & fauces habuit obstructas, ut neque
 cibum, neque potionis quidquam trajicere ac fumere si-
 biliceret. Vis mali laxata ac dissoluta omnis est, ubi

Ecc 3.

illa.

illa se voto peregrinationis Lindensis obligavit. E Sturmhubel quoque ejusdem agri villa, tum Sophia hortulani cujusdam uxor tum Luca Newman filia Gertrudis, non minoribus se Deiparæ obstrictas beneficiis sunt professæ. Illa viginti jam ante annos per quatuor circiter menses oculis capta, voto à matre suâ ad Dⁿⁱ Matrem factò visum recepit; & jam supra viginti annos, ut grata sit, Lindam frequentat; hæc verò per integrum circiter annum manca atque usum manus privata neque fila trahere, neque colum acumvé tractare potuit, simili ad Deiparam voto restituta est.

VI.

Meelaccentes Virgines duæ voto defunctæ.

Pridie Cal. Augusti Ursula Jacobi Florin, & Anna Petri Sommerfeld civium Meelaccensium filia Virgines, peregrinationibus, quas à septem vel sex circiter annis frequentant, defunctæ sunt. Illa enim octo jam ante annos arthritide & omnium cruciatu artuum perstricta, hæc verò ante sex annos, ulcus vel anginam collum & fauces insidentem passa, non alio quàm Deiparæ Lindensis auxilio restituta sanitati sunt; ut omnibus morbi vestigiis quasi abrasis, sola in collo Annæ modica superstit cicatrix, non tam rupti vulneris, quàm beneficii Deiparæ monumentum.

VII.

VII.

Alii quoque è variis Varmiaë locis
curati.

Pauli Lehman civis Bisteinensis filius Michaël,
 tum capitis, tum laterum acutissimis confixus dolo-
 ribus, nullum reperit præsentius, quàm Deiparæ
 Lindensis subsidium. Ut enim voto se illi obstrin-
 dit, omni malo solutus est. Pat felicitas ex magna
 calamitate Simonem Hertz civem & pistorem Heils-
 bergensem excepit. Dolor, qui caput occuparat,
 id delirium usque deduxit. In quo, cum per octo
 decumberet septimanas, aliorum operâ Divæ Lin-
 densi devotus momento ad mentem, indeque ad
 vires corporis mox rediit; ut quatrinduo post & stra-
 to surrexerit, & suis nixus viribus quaquaversum de-
 ambularit. Ad xi. Cal. Aug. Lindam venit, & cum
 hæc de se enuntiasset, de conjugæ quoque sua adje-
 cit, eam pari morbo atque calamitate laborantem,
 pari Deiparæ ope fuisse restitutam. Adjungendus
 hic est Joannes è Kleberg Allensteinensis municipii
 pago hortulanus, qui hoc eodem mense adfuit; quan-
 quam anno proximè jam elapso votum Lindæ tum
 suo, tum uxoris, proliisque suæ nomine perfolvisset.
 Toto quadragesimæ illius anni tempore, unâ cum
 uxore, gravissimè decumbebat: per somnium visus
 sibi Lindensi adesse processioni; inde, & sibi, & u-
 xori, & infanti, qui per septem hebdomadas nihil
 lactis suxerat, restitutam inde sanitatem vidit.